

voluptatis nostrae ad bonum, seu bonum usum liberi arbitrii consentientis gratiae esse effectum praedestinationis. Et ita sentire debent quicumque docent gratiam reddi efficacem, seu inefficacem a nostro consensu, vel dissensu, & non ex efficaci Dei decreto, seu voluntate. Sequitur autem nonna conclusio, quae certò est D. Th. locis in margine cit. ex dictis tum art. praeced. tum de efficacibus decretis, & scientia media. Summatim ergo, & partim repetendo, quae jam dicta sunt.

Prob. 1. Bonus usus gratiae, ut a nobis est, sive determinatio voluntatis nostrae ad bonum supernaturale, sive tandem actus supernaturalis, ut procedens a libero arbitrio (haec enim unum sunt) causatur a gratia: ergo est effectus praedestinationis in praedestinato. Patet Conseq. Quia praedestinato est causa gratiae: ergo, & eius quod est gratiae, ut dicit formaliter S. Th. citatus, & patet ex illo vulgari axioma: quod est causa causae, est causa causati.

Prob. Ant. 1. auctoritate. Deus non solum facit cum facimus, sed facit ut faciamus: Ezech. 36. *Faciam ut in praecipuis meis ambuletis*. Et Aug. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum est, nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus*. Coelestinus I. ad Episcopos Galliae dicit, *quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio*. S. Aug. l. 1. retract. cap. 9. *Quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis, quae virtus est, & in magnis numeratur bonis*. Lib. de praedest. ss. cap. 8. *Haec gratia, quae occulte hominibus cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Ergo non respuitur, non resistere, quod est consentire, est effectus gratiae. Lib. 1. contra duas Ep. Pelagii cap. 19. in fine: *Trahitur miris modis ut velit ab illo, qui novit intra in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, volentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*; atqui bonus usus liberi arbitrii, seu ipse consensus liber gratiae procedere non potest a libero arbitrio nolente, sic enim non consentiret, sed dissentiret: ergo procedit a libero arbitrio volente; fieri autem volentem ex nolente est effectus gratiae juxta Aug. Insuper idem S. Doct. saepe docet, nos non debere tribuere operationum nostrarum partem Deo, partem nobis, sed totum Deo, idque probat ex S. Cyr. dicente: *In nullo est glorandum, quando nostrum nihil est*. Quo principio evertitur fundamentum Molinae, & Molinistarum; qui ideo negant bonum usum liberi arbitrii consentientis gratiae esse effectum gratiae, & praedestinationis, quia volunt Deum, & hominem concurrere ad actum supernaturalem, ut duas causas paritales, quarum quaeque aliquid de suo fundo conferat, ut duo trahentes navim, quae alibi confutavimus, & quod directè impetit S. Th. hic art. 5. cit. ubi reprehendit eos, *Qui distinguunt inter id, quod est ex gratia, & id, quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque*. Et addit: *Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio, & ex praedestinatione, sicut nec est distinctum, quod est ex causa 2. et causa 1. divina enim Providentia producit effectus per operationes causarum secundarum*. Et tandem concludit: *Unde id, quod est per liberum arbitrium, est ex praedestinatione*.

Prob. 2. idem Ant. duplici ratione. 1. est: Deus ut prima, & universalissima causa, ut toties jam dixi, attingit non solum substantiam effectus, sed omnes ejus modos, & formalitates reales; atqui bonus usus gratiae, ut est a nobis, seu actus supernaturalis prout egreditur a nostro libero arbitrio, est aliquis modus, seu formalitas realis, non est enim purum nihil, aut ens rationis: ergo est a Deo; non ut auctore naturali, seu per providentiam naturalem, ut patet: ergo ut auctore supernaturali per gratiam, & providentiam supernaturalem.

2. Ratio hujus Ant. in actibus supernaturalibus, qui procedunt a potentis nostris, tota, & proxima ratio agendi est virtus supernaturalis, non quod potentia naturalis non agat, sed quia non agit, nisi ut elevata, & proportionata actui supernaturali per virtutem supernaturalem; & ideo potentia naturalis est virtus remota, gratia virtus proxima: virtus autem remota non agit nisi, ut modificata per virtutem proximam: ergo bonus usus gratiae, seu actus supernaturalis non egreditur a nostro libero arbitrio, nisi virtute gratiae ipsum elevantis, & proportionantis actui supernaturali. Confer, quae diximus de visione beata, unde proveniat ejus inaequalitas. Diss. 4. art. 8.

Prob. iterum Concl. alia ratione fundamentali. Quod efficaciter conducit ad salutem, & est praemium in Coelo, est effectus praedestinationis; quia haec est preparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur; atqui bonus usus gratiae ut est a nobis, seu actus supernaturalis ut est a libero arbitrio, efficaciter conducit ad salutem, & est praemium in Coelo: ergo. Prob. Min. conducit ad meritum; quamvis enim valor meriti sit a gratia, non esset tamen meritum, si non esset liberum: meritum autem conducit efficaciter ad gloriam, & est praemium in Coelo: ergo.

Dices 1. Actus supernaturalis ut egrediens a libero arbitrio est vitalis, & liber; atqui neutrum habet a gratia; non quod sit vitalis, quia gratia est a principio extinsecò, & de foris advenit, nempe a Deo neque quod sit liber, quia gratia non est libera, nec indifferens, sed unum actum determinatè respicit ergo. R. N. Min. Ad Prob. dico, quod gratia non sit quidem vitalis, & libera ut quòd, seu formaliter, bene tamen virtualiter, & ut quo; quia est a Deo ut a primo libero, & principio totius vitae, daturque ad elevandum hominem ad vitam supernaturalem, & ad causandam ejus libertatem actualem. Neque Deus, cum sit fontale principium totius vitae, reputatur proprie tanquam agens extrinsecum respectu hominis. Neque etiam obstat, quod gratia non sit indifferens, sed respiciat determinatè unum actum; quia, quamvis id, quod est principium liberum per modum potentiae, debeat esse indifferens, non tamen quod est principium liberum per modum virtutis actualis, seu applicatio- nis ad actum: ut patet in nobis, qui dum actu agimus, liberè agimus, & tamen unum actum determinatè respicimus.

Dices 2. juxta Trid. cap. 5. & can. 4. liberum arbitrium aliquid ex sua parte cooperatur Deo vocanti, & excitanti. Et Aug. serm. 13. de verbis Apost. explicans illud Ps. 26. *adjutor meus esto*; dicit: *ipsum nomen adjutoris nos admonet, quòd etiam nos aliquid facimus; qui enim nihil facit, adjutori non indiget*: ergo gratia non est tota ratio agendi in actibus supernaturalibus, sed servat suas partes libero arbitrio. R. equidem suas partes servari libero arbitrio, quia liberè assentitur Deo excitanti, & vocanti, & sic liberè assentiendo cooperatur Deo per gratiam cooperantem adjuvanti. At quòd iste liber assensus gratiae excitanti non sit rursus a Deo, non dicit Concilium, & August. imò contrarium dicunt; loquunt enim Concilium de libero arbitrio moto, & excitato: ergo per gratiam elevato, & proportionato. Similiter Aug. ut patet ex dictis hic, & alibi.

§. II. Utrum substantia Praedestinati, natae dotes, & alia naturalia sine effectus praedestinationis?

Nota: aliquid potest dici dupliciter effectus praedestinationis, vel elicitive, & immediatè, vel imperatè, & mediate. Id est effectus elicitive praedestinationis, quod secundum se conducit ad finem supernaturalem tanquam medium supernaturale, & ideo a providentia supernaturali elicitor. Id est effectus imperatus praedestinationis, quod quidem secundum se non conducit ad salutem supernaturalem tanquam medium supernaturale, utpotè inferioris ordinis ad illam; potest tamen illi deservire ministerialiter, vel occasionaliter, & ideo imperatur a praedestinatione, ut fiat per suas causas naturales in ordine ad finem suum. Sicut in virtutibus, licet, v. gr. actus temperantiae elicitor a virtute temperantiae, potest tamen imperari a charitate in ordine ad suum finem, ut cum quis jejuna ex amore Dei, sive propter Deum dilectum.

Certò constat inter Theologos, substantiam praedestinati, ejus nativitas dotes, ut bonam indolem, aliae naturalia, ut nativitatem, mortem, morbos, pauperitatem, divitias, calamitates, imò & opera bona moralia, non esse effectus elicitive praedestinationis, sed naturalis providentiae. 1. Quia non sunt supernaturalia, providentiae supernaturalis, & ejus fini proportionata. 2. Quia non sunt media secundum se conducentia ad illum finem, sed secundum se indifferenta; idem enim homo, qui praedestinat, est capax reprobationis, & qui meliori indole est praeditus quandoque damnatur, dum alter peioris indolis assumitur: similiter quandoque dives eligitur, pauper relinquitur, & e contra. 3. Si haec omnia essent effectus elicitive praedestinationis, nihil relinqueretur providentiae naturali.

Certum est 2. bonum usum istorum omnium naturalium in praedestinato esse effectum elicitive praedestinationis; quia est medium supernaturale de facto conducat ad salutem supernaturalem, a Deo praedestinato donatum, ex hujus finis intentione efficaci. Unde Apost. Rom. 8. dicit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Et 1. ad Cor. 3. *Omnia vestra sunt...sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura*.

Difficultas est ergo circa productionem ipsam substantiae praedestinati, & aliorum naturalium ipsi ad salutem ministerialiter deservientium, an sint saltem imperatè effectus praedestinationis: circa quam valde inter se dissentunt Theologi Thomistae. Hujus autem resolutio, nostro saltem iudicio, maxime pendet ex ordine, qui statuendus est inter decreta divina: & in hoc iterum variant Auctores.

Quidam dicunt, Deum 1. intendisse Christum, ut finem totius creaturae. 2. Electos propter Christum. 3. Caetera omnia propter electos. Juxta hunc ordinem concipi potest productionem substantiae praedestinati, & aliorum naturalium, quatenus aliquo modo deservire possunt electis, esse imperatè effectum praedestinationis; sed difficile salutarum doctrina D. Th. Chris-

Christum scilicet non fuisse venturum, si Adam non peccasset, siquidem prius concipiatur Christus praedestinat; quam sit praevium Ade peccatum: neque verum esset in rigore, Christum propter nos & propter nostram salutem descendisse de caelis, atque Deum sic dilexisse mundum, ut Filium suum unigenitum daret; sed potius dicendum foret, Deum sic dilexisse Christum, ut mundum crearet & hominem cadere permitteret. De quo in Tract. de Incarnat.

Alii dicunt, Deum 1. ex intentione manifestandi gloriam suam per suae bonitatis effusionem naturam, seu hunc mundum voluisse. 2. Creaturas intellectuales ad finem supernaturalem ordinasse, secundum tamen suae defectibilitatis conditionem. 3. Praevio lapsu hominum in primo parente, eum per Christum Redemptorem reparare decrevisse. 4. In Christo aliquos specialius & efficaciter elevisse, aliis relictis. Juxta hunc ordinem difficile concipitur, praedestinationem causalitatem aliquam aut imperium exercere circa productionem substantiae praedestinatorum, & alia naturalia, siquidem in signis prioribus haec omnia individualiter supponatur producta, aut futura.

Alii tandem, & forte convenientius, inter istos tres ordines, naturae, gratiae, & unionis hypostaticae, non agnoscunt prioritatem in decretis divinis; sicut enim, inquit, artifex non prius intendit rectum, aut fundamentum, sed 1. intendit aptam habitationem, & propter eam domum totam omnibus partibus suis constantem, ita ut non possit dici una integrè praeparata & independentè ab illa fuisse intenta; ita Deus 1. voluit suam gloriam ad extra manifestare, & ad hunc finem elegit hunc mundum suis omnibus partibus & omnibus ordinibus, scilicet naturae, gratiae, & unionis hypostaticae, integratum, tanquam unicum opus ad suum finem aptissimum. Sed quia rectus ordo partium postulat, ut minus praecipue nobilitatibus accommodetur, & serviant; sic ordinem naturae disposuit, ut inserviret ordini gratiae, & ordinem gratiae, ut cederet ad gloriam Christi. Unde in Deo est unica providentia, totum universum in unum finem divinae gloriae dirigens, cujus partes sunt providentia naturalis, supernaturalis, & ordinis hypostatici, quarum neutra sibi vindicat actus alteri proprios, sed quilibet habet suos proprios; ita tamen ut propter connectionem & subordinationem nobilior imperare possit inferiori. Et sic potest intelligi, quod, quamvis effectus proprii & eliciti praedestinationis sint tantum actus supernaturales, quibus ut mediis perducit ad gloriam; quia tamen & substantia praedestinati & alia naturalia illi deservire possunt sine subjectivè, sive ministerialiter, seu occasionaliter ad suum finem consequendum, haec imperare potest providentiae naturali, non solum quoad usum ad directionem, aut extraordinarium aliquam mutationem, ut vult nos Goudin, qui tamen hunc dicendi modum ut convenientiorem amplectitur; sed etiam quantum ad productionem, ut scilicet, vel absolute fiat, vel tali modo, qui magis congruat suo fini.

Et haec sententia videtur conformior S. Thomae in pluribus locis. 1. in 1. d. 41. q. 1. art. 4. ait: *Omnis causa, cujus operatione invergentem completur effectus praedestinationis, dicitur praedestinationem juvare, vel per modum causa meritoriae, vel persuadendae ad bonum, vel per modum dispositionis, vel etiam naturalis operatione; sicut motus Coeli & omnes causae naturales juvant praedestinationem in quantum eorum officio perficitur generatio & sustentatio electorum*. Porro, si motus Coeli juvat praedestinationem, quatenus perficit generationem praedestinati: ergo generatio, consequenter substantia praedestinati est effectus praedestinationis.

2. Hic art. 8. in Arg. Sed contra probat, praedestinationem, juvari precibus Sanctorum ex illo Genes. 25. ubi dicitur, quod Isaac rogavit Dominum pro Rebecca uxore sua, & dedit conceptum Rebecca, ex quo natus est Jacob. Ergo idem, quod ante: si enim oratio Isaac juvit praedestinationem Jacob, quia obtinuit ejus nativitatem; ergo praedestinato versatur circa nativitatem, & haec est ejus effectus. Et quamvis ex argumento Sed contra non semper certò colligatur mens D. Th. bene tamen si in corpore articuli idem doceat. In corpore autem art. non solum eandem doctrinam tenet, sed etiam rationem proferit his verbis: *Ita praedestinat a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine praedestinationis cadat quicquid hominem promovet ad salutem, vel orationes proprie, vel quicquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur*: sine substantia autem praedestinati praedestinat salutem non consequitur.

Nec obstat auctoritas Aug. Ep. 105. dicentis: *Christus non pro ullis, ut homines conderentur; sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur*. Respondetur enim, multa fieri & haberi ex meritis Christi; pro quibus tamen Christum non dicitur mortuus: sic Christus sibi meruit gloriam corporis, & nominis exaltationem: sic mors praematura alicujus, ne malitia mutaret intellectum, est ex meritis Christi; & alia similia; & tamen Christus non dicitur mortuus propter gloriam corporis & nomi-

nis sui exaltationem, nec pro aliquo, ut cito moriatur. Ratio hujus est; quia To *Propter* denotat finem principalem mortis Christi. Haec autem assignata & similia non sunt finis principalis mortis Christi, sed salus hominum. Addo, sensum Aug. esse, generationem hominis secundum se intra suum ordinem & limites naturae consideratam non esse ex meritis Christi; se- cius, si consideretur ut ordinabilis ad salutem, sub qua ratione dicitur esse ex meritis Christi.

Et sanè cum il, qui censent oppositum, admittant ex praedestinate providentia cursum naturae quandoque mutari, & quaedam extraordinaria in naturalibus contingere ut miraculosa Nativitatem S. Joannis Bapt. tribulationes Job & Tobiae, mortem praematuram justì, ne corrumpatur, nativitatem infantis statim morituri prope fontem unde possit baptizari, specialem quaedam complexionem seu dotem, qua electus redditur aptior ad certa ministeria & similia; non video, cur magis repugnet substantiam Praedestinati, & quicumque alia, quae contingunt in natura, quatenus ejus saluti deserviant; esse pariter imperatè ex praedestinatione.

Supposita veritate hujus sententiae, inferes, non solum substantiam Praedestinati, sed etiam nativitas dotes, bonam indolem, temperamentum, calamitatem & prosperitatem, divitias & pauperitatem, morbos & sanitatem, exempla, opera bona moralia, & quaevis alia, quae deserviant saluti, vel gaudia accidentaliter Electorum, esse effectus imperatus praedestinationis eorum: non quòd nativitas dotes conducant, ut facilius elicitor actus supernaturales (diximus enim, adaequatam rationem illos producenti esse virtutem supernaturalem) sed quia conducunt ad vitanda peccata, sicut & ipsa bona moralia; dum enim quis haec agit instante praecipio, vitat peccatum. Haec etiam conducunt ad gaudium accidentale, quod de illis praedestinatorum percipit in gloria.

Ceterum, quam voluerit, sententiam amplectatur Lector; nulla enim est ratio convincens pro, aut contra; nec res est tanti momenti, ut illi diutius immoremur.

§. III. Utrum permissio peccati in praedestinato sit effectus praedestinationis?

Suppono 1. ut certum, peccatum pro formali in praedestinato non esse effectum praedestinationis; quia a Deo nec est volitum, nec causatum. Quantum ad materiale, eadem videtur ratio ac de permissione; haec quippe non est sine influxu in materiale.

Suppono 2. ordinationem, quam facit Deus de peccatis nostris in bonum & utilitatem nostram, seu fructum, quem mediante divina gratia & misericordia ex peccatis elicimus, ut majorem humilitatem, ferventiorum charitatem, esse effectum praedestinationis.

Suppono 3. permissionem peccati, hoc est, denegationem seu carentiam auxilii necessari ad vitandum peccatum, praecise secundum se, & ex intrinsicis non esse effectum praedestinationis; quia sic non juvat praedestinationem, sed magis illi nocet, & ordinatur potius ad damnationem quam ad praedestinationem, unda est potius a justitia punitiva, quam a misericordia praedestinate.

Tantum ergo difficultas est de permissione peccati, ut est occasio deserviens majori peccatis humilitati, cautioni, emendatione, & ferventiori charitati, &c. an sub illa ratione sit effectus praedestinationis. Sententia affirmativa videtur communis Thomistarum, exceptis quibusdam recentioribus, ut Vincentio Contenson & Anton. Goudin, estque conformior modo loquendi SS. Patrum, praesertim S. Thomae. Unde

Dico: Probabilis est, permissionem peccati, propter deservit majori peccatis sanctificationi, esse in praedestinato effectum praedestinationis. Prob. ex SS. PP. Aug. libr. 21. de civit. cap. 24. exponens haec verba Ep. ad Rom. 11. *Concluit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium miseretur*; dicit, Deum permississe praedestinos ex Judaeis & Gentibus incidere in peccatum inviditatis: *Ut de amaritudine illius penitendo confusi, & ad dulcedinem divinae misericordiae credendo conversi clamarent illud in Ps. 30. Quam magna multitudo ducedinis tuae, Domine, quam abscondisti timoribus tuis!* Ergo juxta Aug. permissio peccati in praedestinato est immediatè ex intentione humiliationis & conversionis, consequenter mediatè ex praedestinatione. S. Damascenus l. 2. de fide cap. 29. dicit: Permittitur quandoque quis in turpem actum incidere ad emendationem deterioris effectus: v. gr. qui est elatus in virtutibus & rectè factis suis, tunc sinit Deus in adulterium prolabi, ut per casum in cognitionem propriae infirmitatis veniens, humilitatus confiteatur Domino. Similiter S. Leo serm. 9. de Pass. Dom. Greg. hom. 21. in Evang. S. Ambros. serm. 47. de fide Petri S. Bern. serm. 54. in cant. & alii. S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 4. loquens de excitatione, quae ad permissionem peccati, seu carentiam gra-

gratiae & divini luminis pertinet, dicit: *Excusatio est quodam preambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex divina misericordia, seu providentia, scilicet ad sanationem in quantum Deus permittit cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humiliantur & convertantur, sicut Aug. dicit in libr. de nat. & grat. Unde excusatio sua natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excusatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus: sed ex divina misericordia excusatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excusantur, sed haec misericordia non omnibus impenditur excusatis, sed praedestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur ad Rom. 8. Ubi S. Doct. videtur aperte doceret, permissionem peccati ad tempus ordinari a providentia miserente ad humilationem & sanationem peccantis; haec autem providentia est praedestinatio. Insuper excusatio perpetua, juxta S. Doct. quia de se ordinatur ad damnationem, est effectus reprobationis: ergo intelligit excusationem ad tempus, quam dicit ex misericordia medicinaliter ordinari ad salutem, & in solis praedestinatis est effectus praedestinationis. Legatur etiam Lect. 6. in cap. 8. ad Rom.*

Favet etiam modus loquendi Scripturae, interprete Aug. Ps. 29. dicitur: *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.* Quae verba exponens Aug. libr. de nat. & grat. cap. 24. sic ait: *Dixerat enim in abundantia sua: non movebor in aeternum; & sibi tribuebat, quod a Domino habebat: quare ostendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis, quod superbus amiserat.* Item ad Rom. 9. dicitur: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quod Aug. libr. de corr. & grat. cap. 9. sic exponit: *Talibus Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.*

Ex quibus conficitur haec ratio. Quae pendet ex libera Dei voluntate, qualis est praesens questio, non potest nobis melius innotescere, quam ex Scripturis & Patribus, praesertim si ita fieri congruat, & nulla ratio contrarium satis evincat: atqui, quod permissio peccati sit effectus praedestinationis, est conformius modo loquendi Scripturarum & SS. PP. ut vidimus; congruit ita fieri, ut mox probabo; nec ulla ratio satis evincit contrarium, ut patet ex solutione objectionum. Prob. ergo 2. pars Min. Deus certo vult permissionem peccati in praedestinatis, vult autem propter aliquem finem, & finis congruus est major utilitas peccantis, consequenter ejus salus: ergo. Confirmatur: permissio peccati potest occasionaliter deservire fini praedestinationis, quia potest esse occasio majorum virtutum, & firmior perseverantia: ergo congruus est, ut ex hujus finis intentione decernatur: sicut quaedam naturalia, licet sint de se indifferentia ad salutem vel reprobationem, quia tamen possunt servire ministerialiter saluti, dicimus esse in praedestinationis effectum.

Dices 1. Permissio peccati non est beneficium Dei, neque est ex meritis Christi; neque Christus oravit Patrem, ut permitteretur tibi in peccatum: ergo. R. Haec omnia vera esse de permissione peccati secundum se & ex intrinsicis; non vero de ea, ut est occasio majorum virtutum.

Si inferas: possumus ergo nos petere a Deo, ut permittat nos tibi in peccatum sub spe majoris profectus, quia possumus petere effectum praedestinationis nostrae. R. N. Illationem, & ejus probationem universaliter sumptam. Ratio est; quia, qui petit pro altero, ut permittatur peccare, peccatum non est committendum a sua propria voluntate, sed a voluntate alterius: qui vero pro se petit, ut permittatur peccare, peccatum est committendum a sua propria voluntate, & ac perinde est ac si peteret & vellet peccatum; secus alter, qui sedit in simplici petitione permissionis, seu carentiae auxilii praeservantis a peccato committendo per liberam alterius voluntatem.

Dices 2. Permissio peccati non conducit etiam occasionaliter ad majus bonum peccantis, nisi ratione peccati; si enim esset permissio, & non esset peccatum, non esset occasio majoris boni in peccatore: ergo, si Deus velit permissionem peccati ex intentione majoris boni in peccatore, vult ipsum peccatum. Patet Conseq. quia, qui vult finem, vult id quod conducit ad illum, R. N. Conseq. ad Prob. D. qui vult finem, vult id quod conducit ad illum, si sit capax volitionis, C. si non sit capax volitionis, sed permissionis tantum, N. peccatum autem non potest esse a Deo volitum, sed permissum tantum; & hoc sufficit ad intentum finem, quia ex permissione sequitur infallibiliter peccatum, non sequela physica (permissio enim non est causa peccati, sed voluntas detectibilis) sed sequela logica tanquam ex remove prohibens. Hanc solutionem esse veram, & admittendam ab ipsis adversariis, patet; quia certum est, & ipsi non negant, Deum velle permittere peccatum propter aliquem finem, quicumque sit, ad quem ista permissio

non conducit nisi ratione peccati; & tamen non concedunt, ideo Deum velle peccatum.

Dices 3. Saltem peccatum non potest permitti ex praesentia poenitentiae: ergo. Prob. Ant. 1. Quia imprudens & crudelis medicus est permittere morbum, ut sanetur, peccatum autem sanatur per poenitentiam. Unde 2. quia poenitentia intenditur ut remedium destructivum peccati: ergo supponit illud praevium, sicut permissum. Nemo enim intendit medicinam, nisi supposito morbo. Unde poenitentia dicitur a Patribus & Theologis bonum ex peccato occasionatum. R. 1. Dato Ant. N. Conseq. Quia, esto peccatum non possit permitti ex intentione poenitentiae, ut potest permitti ex intentione humilitatis, majoris cautionis, firmioris perseverantiae, & ferventioris charitatis; unde ex eis, qui peccati permissionem esse effectum praedestinationis defendunt, quidam negant eam esse ex intentione poenitentiae. Sed, quia contrarium communiter docent Thomista, & id videtur insinuare S. Th. cum dicit loco cit. quod *Deus permittit, aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humiliantur, et convertantur*: conversio autem idem est ac poenitentia. R. 2. N. Ant. ad 1. Prob. dato, poenitentiam in permissione peccati intendi ut illius sanativam, de quo statim; dico non esse crudelis & imprudens medicus permittere levem morbum, ut gravior caveatur, vel ut firmior sit in posterum sanitas. Neque obstat, quod peccatum, cum sit infinitae malitiae, sit pejus malum, quam sit bonum, quod inde exurgit peccatori poenitenti; ita est quidem, si ibi sistatur, secus si istud bonum poenitentis conducit iterum ad alios fines; bonum autem poenitentis conducit ad ejus salutem, & salutem ad gloriam Dei & bonum universi, quae praeponderant malo peccati, alias nulla de causa posset permitti peccatum: sic etiam in naturalibus saepe permittitur corruptio nobilioris substantiae, ut nascatur vilior, quia hoc conducit ad oeconomiam & bonum Universi.

Ad 2. Prob. Ant. relictis variis solutionibus, R. Poenitentiam, seu conversionem plura involvere. 1. Odium peccati. 2. Dolorem de illo commisso. 3. Propositum emendae, & tandem satisfactionis. Inter haec solus dolor est sanativus, ac totaliter destructivus peccati, ut docemus de poenitentia. Potest ergo permitti peccatum ex intentio poenitentiae, non ut importet dolorem sanativum, sed ut importet vel majus odium de peccato, vel firmiorem emendationem, vel rigidioris satisfactionem; & sic sufficienter verificatur dictum S. Th. peccatum permitti, ut peccator convertatur.

ARTICULUS VII

De certitudine Praedestinationis.

Haec questio potest duplici sensu intelligi. 2. An Praedestinatio certo & infallibiliter consequatur suum effectum? 2. An cuique sit certa sua praedestinatio. Auctor hic loquitur de praedestinationis certitudine 1. sensu, nos de utroque quaerimus. Circa primum sensum est & alia difficultas, quae certitudine praedestinationis sit certa, an non solum certitudine praesentiae, sed etiam causalitatis; seu, an Deus non tantum praesciat effectum praedestinationis, sed etiam ipsum certum, & infallibiliter efficiat; & hoc supposito, quomodo haec certitudo causalitatis non noceat libertati? Quae omnia breviter resolvemus, quia plura supponuntur ex ante dictis.

Dico 1. (Hic art. 6. o.) Praedestinatio est certa & infallibilis quoad executionem sui effectus. Patet 1. ex Scriptura; Joann. 6. *Haec est voluntas ejus, qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et cap. 10. *Nemo rapit oves meas (id est Praedestinos) de manu mea.* Ex Aug. de corr. & grat. c. 7. loquens de electis: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio homo vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* 3. Ex definitione Praedestinationis, quae, ut diximus ex Aug. est praesentia & preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. 4. Ratione, quae sequitur ex dictis; quia Praedestinatio includit voluntatem Dei absolutam, & consequentem, cui nemo resistit.

Dico 2. (Hic art. 7. o. Quodlib. 12. art. 3. q. 6. de verit. art. 3.) Praedestinatio est certa, non solum certitudine praesentiae, sed etiam certitudine causalitatis. Est contra Molinam, cuius sententiam praedamnat S. Th. q. cit. de verit. ut contrariam Scripturae & Patribus; verba ejus sunt: *Non potest dici, quod praedestinatio supra certitudinem providentiae nihil aliud addit, nisi certitudinem praesentiae: ut si dicitur, quod Deus ordinar praedestinatum ad salutem sicut & quemlibet alium: sed cum hoc de praedestinato scit, quod non deficiet a salute: sic enim dicendum non diceretur praedestinatus differre a non praedestinato ex parte ordinis (scilicet a causa ad effectum) sed tantum ex parte praesentiae eventus, & sic praesentia esset cau-*

sa praedestinationis, nec praedestinatio esset per electionem praedestinatis, quod est contra auctoritatem Scripturae & dicta Sanctorum: unde praeter certitudinem praesentiae ipse ordo praedestinationis habet infallibilem certitudinem. Videatur insuper aliis locis cit. in margine. Patet etiam conclusio ex Aug. in praeced. conclusione cit. item ex notione praedestinationis, quam diximus includere, non solum praesentiam, sed etiam voluntatem absolutam & consequentem, cui nemo resistit: ergo, non solum certo scit Deus, sed & certo vult & facit effectus praedestinationis, scilicet bonum usum gratiae, merita inde procedentia, perseverantiam & glorificationem. Huic conclusioni probandae non diutius immoror, quia sequitur ex dictis de scientia media, de decretis efficacibus, & de motivo praedestinationis.

Dico 3. Neque (Hic art. 3. o.) tamen haec quantumcumque certitudo nocet libertati; quia voluntas Dei praedestinativa non est tantum de substantia effectus praedestinationis, sed etiam de modo, ut toties dixi ex Auctore: ergo, cum ista voluntas sit efficacissima, non solum sequitur, quod eveniat simpliciter effectus, sed etiam quod eveniat eo modo, quo evenire debet secundum conditionem causae secundae, hoc est, libere, si causa secunda sit libera; necessario, si sit necessaria.

Dico 4. Numerus (Ibid. art. 7. o.) praedestinatum est certus, non solum formaliter, sed etiam materialiter: id est, non solum Deus scit ac praedestinavit, quot sint salvandi, sed etiam qui sint salvandi: alioquin praedestinatio non foret certa contra primam conclusionem. Patet etiam ex Scriptura: Joann. 13. *Ego scio quos elegerim.* 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et alibi pluries. Item SS. Patres, quos vide, si libet, apud Auctores.

Dices contra haec quatuor conclusiones. Possunt aliqui de libro viventium, hoc est, de numero praedestinatum deleri, aut illi de novo adscribi: ergo. Prob. Ant. 1. Ps. 68. *Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.* 2. Exod. 32. Moyses dicit Deo: *Aut dimitte eis noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* 3. Ecclesia orat in Canone Missae, *Ut in Electorum suorum non jubet grege numerari;* & in oratione pro vivis & defunctis, *ut eorum nomina praedestinationis libri adscripta retineat.* 4. Ps. 17. *Cum electo electus eris.* 5. Jo. 17. *Ex his, quos dedisti mihi (id est, ex praedestinis) nemo perit, nisi filius perditionis.* 6. Apost. 1. Cor. 9. timet, ne reprobis efficiatur. 7. Angelus Apocalyps. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* 8. Ep. 3. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 9. Juxta SS. Aug. & Th. praedestinatio potest juvari precibus Sanctorum. Unde Aug. serm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* 10. Tandem dogma fidei est, praedestinatum posse damnari, & reprobum posse salvari; neque enim praedestinatio aut reprobatio tollit libertatem. Unde istud vulgatum ex Aug. *Si non sis praedestinatus, ora ut praedemeris*: ergo.

Ante Resp. (Hic q. 24. art. 3.) Nota, duplicem esse librum vitae, unum inchoatum, in quo scribuntur omnes iusti; ex hoc enim, quod quis est in gratia, est dignus vita aeterna: alterum completum, in quo illi soli, qui ex divina praedestinatione sunt salvandi, scribuntur. Hi dicuntur simpliciter scripti in libro vitae, nec de eo possunt deleri; primi secundum quid tantum, & de illo possunt deleri, quatenus possunt a justitia deficere. Hoc praenotato ex Auctore,

R. N. Ant. intellectum de libro vitae completo. Ad 1. Prob. Quia illa Davidis verba intelligunt de libro vitae inchoato. Quia tamen ibi sit sermo, non de iustis, sed de impiis persequentibus Prophetas, qui nunquam fuerunt scripti in libro vitae, etiam inchoato; melius dicendum videtur cum Aug. conicione 2. in hunc Ps. sensum esse: sciant & sentiant, se non esse scriptos, ut putabant, in libro vitae.

Ad 2. Hoc dicitur fuit a Moysse per hyperbolen seu piam exaggerationem, ad significandum excessum sui amoris erga populum Israeliticum; vel dicitur disjunctivè ex magna fiducia, quam habebat, quod Deus nec velle, nec posset ipsum delere de libro vitae; quasi diceret: aut parce populo, aut dele me; certus sum autem quod me non delebis, restat ergo ut populo parcas. Sicut, si filius dilectus diceret patri volenti dimittere servum: aut eum non dimitte, aut me cum ipso dimitte. Alterutro sensu intelligendus est Apost. ad Rom. 9. dum cupit anathema esse a Christo pro fratribus.

Ad 3. R. Ecclesiam non orare, ut Dei propositum mutetur, sed sumens causam pro effectu, orat, ut Deus nobis det piam conversationem, & per eam Sanctis in aeterna felicitate nos aggreget. Ad 4. R. Haec verba dirigi ad Deum & significare, quod electis & iustis se pium & benignum praebet.

Ad 5. R. Improprium esse locutionem, Hebraeis familiarem, qua Tô Nisi ponitur loco Sed tantum. Sic 4. Reg. 5. *Non facies ultra servus tuus holocaustum diis alienis, nisi Domino;* Id

est, sed tantum Domino, qui non est Deus alienus. Apocalyps. 21. *Non intrabit in eam aliquis contumax, nisi, id est, sed tantum, Qui scripti sunt in libro vitae.* Et alibi similiter. Sensus ergo textus objecti est, ex his, quos dedisti mihi, nemo perit, nisi, id est, sed tantum Judas, quem mihi non dedisti, sed qui erat filius perditionis. Unde cap. sequenti dicit absolute: *Quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam.*

Ad 6. R. Apostolum timere, non quod crederet sententiam praedestinationis posse mutari, sed quia non certo sciebat, se esse praedestinatum.

Ad 7. (Hic q. 23. art. 6. ad 1.) S. Th. interpretatur de corona gloriae, non in se, sed in spe & jure, seu de praesente justitia, qua meremur gloriam; quod enim meremur, quodammodo nostrum est. Coronam autem hoc sensu sumptam potest quis a nobis sibi accipere. Et quamvis non semper accidat, quod unus alteri cadenti substituitur, id tamen saepe contingit, ut homines Angelis, Gentilibus Judaeis, David Sauli, Mathias Judae, &c. Alii etiam interpretantur de praesente justitia, & constanti in bono, sed ita quod Ly accipiat idem sit ac auferat seu adimat, non ut habeat qui auferat, sed ne tu habeas; ita ut sensus sit: sta firmiter in bono, & ne permittas constantiam tuam labefactari sive a persecutoribus, sive a mundo, sive a diabolo. Sed, etsi haec verba referrentur ad praedestinos, nihil obstat praedestinationis certitudini; quia, cum Deus eam adimplere statuerit per liberum arbitrium, recte admoveatur sollicitudinis & timoris.

Ad 8. R. Nos per opera bona facere nostram electionem certam, non Deo, sed nobis; quia sollicitudo bonorum operum est signum praedestinationis. (Hic art. 8. o.) Item per bona opera certam facimus electionem nostram, quatenus per illa praedestinationis effectus certitudinaliter impletur; quia Deus non elegit ad gloriam per bona opera & preces, sive proprias, sive aliorum consequendam. Et hinc patet responsio ad 9.

Ad 10. Indubitatum est, libertatem sub praedestinatione salvari, quia, ut docet Auctor (Hic art. 2.); praedestinatio non est aliquid in praedestinato, sed tantum in praedestinate; unde nihil ponit in praedestinato, quod quovis modo ejus libertatem laedat; sed relinquit ipsum liberum ad bene vel male agendum, ac si non esset praedestinatio. Quia tamen voluntas Dei praedestinantis est efficax, & immutabilis, certo salvabitur, qui est praedestinatus, & eo modo quo Deus vult ipsum salvari, scilicet libere. Unde, quod dicitur, praedestinitus potest damnari, & reprobis potest salvari, verum est potentia antecedente & in sensu diviso, non potentia consequente & in sensu composito, de quo alibi dictum est; & ideo nihil inde obstat certitudini praedestinationis.

Ad axioma vulgatum ex Aug. *Si non es praedestinatus, ora ut praedemeris.* R. haec verba non reperiri in Aug. sed haec Tract. 26. in Joann. *Non traheris, ora ut traharis.* Sed quodvis dicatur, non est intelligendum de praedestinatione in intentione, quasi Deus nondum decreverit nostram praedestinationem, & possit moveri nostris precibus, ut nunc decernat: absurda foret ista intelligentia; sed de executione praedestinationis, ita ut sensus sit: nondum percipis in te effectus praedestinationis, ora ut percipias.

Inst. Saltem, supposita tanta certitudine praedestinationis, videtur valere illationem semi-Pelagianorum, nempe inutiles esse exhortationes, correptiones, bona opera, curam, & sollicitudinem salutis. R. N. hanc illationem; quia, ut jam saepe dixi, Deus praedestinando ad gloriam simul praedestinavit ad media, quibus est obtinenda: inter ista autem media sunt exhortationes, correptiones, bona opera, orationes, timor, sollicitudo, & cura salutis. Sapienter itaque hic monet doctissimus Sylvius, nos debere imitari SS. Aug. Bern. & Th. qui, cum hanc praedestinationis certitudinem asserent, cum timore tamen & tremore suam salutem operabantur. Imò ipse Christus, quamvis certus esset de salute suorum Apostolorum, admonebat tamen eos vigilare & orare. Vide plura circa hoc argumentum in antecedentibus.

Dico 5. Nemo absque speciali revelatione potest esse physice certus de sua praedestinatione.

Conclusio est contra Calvinistas, asserentes omnes teneri credere fide divina se esse praedestinos, definita in Concilio Trid. sess. 6. cap. 12. his verbis: *Nemo, quando in hac mortalitate vivitur, de arcana divina praedestinationis mysterio usque adeo presumere debet, ut certo statuatur se omnino esse in numero praedestinatorum.* Vide insuper can. 16.

Patet ex Scriptura: Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore, in odio dignus sit, sed omnia reservantur in futurum incerta.* Ex Patribus; Aug. de corr. & grat. cap. 13. *Quis enim ex multitudine fidelium, quando in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?* S. Bern. serm. 1. in Septuag. *Quis ergo potest dicere: ego de electis sum, ego de numero filiorum, reclamant Scriptura: Nescit homo, si sit dignus amore, an odio.*

Ratio est; quia, quæ pendent ex divina voluntate, qualis est prædestinatio, nemo scire potest, nisi Deus ipse revelet. Item nemo certus est de sua perseverantia finali: ergo nec de sua prædestinatione, quæ non est nisi de perseverantibus finaliter.

Dices cum hæreticis. 1. Joann. 5. dicitur: *Hæc scribo vobis; ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ad Rom. 8. *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sonus Filii Dei, si autem Filii & hæredes, hæredes quidem Dei, hæredes autem Christi.* 1. ad Thess. 1. *Scientes Fratres dilecti a Deo electionem vestram.* Tandem fide certum est, nos orationibus nostris posse consequi salutem, ita quippe promisit Christus Marc. 11. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis:* ergo. Ad 1. R. sensum esse, ut sciatis, quoniam habetis vitam æternam, non in re, sed in scimæ & spe, qua tamén frustrari poterant, non perseverando. Ad 2. R. quod, quamvis testimonium Spiritus sancti, quatenus ab illo provenit, sit certissimum; quatenus nobis exhibetur non est nobis certum, nisi conjecturaliter, seu ad summum moraliter; quia non omnino certi sumus, an istud testimonium sit a Spiritu sancto, an a maligno spiritu se transfigurante in Angelum lucis: unde 1. Joann. 4. dicitur: *Probate spiritus; utrum ex Deo sint.* Insuper ista sententia est conditionata; subiungit enim Apost. *Si tamen compatimur.* Non possumus autem esse absolute certi, quod compatiamur, ut oportet. Ad 3. Apost. non loquitur de electione ad gloriam, sed ad gratiam fidei Evangelicæ, ut patet ex versu sequente, *Quia, inquit, Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* Vel si loquatur Apostolus de electione ad gloriam, vult tantum indicare bonam fiduciam, non omnimodam certitudinem. Ad ultimum: Equidem fide certum est, ex promissione Christi nos posse obtinere salutem orationibus nostris, factis eo modo quo debent fieri; at nemini potest esse certum absolute se orare eo modo quo oportet.

Dico 6. Potest homo ex variis signis, quæ nobis exhibent Scripturæ & Patres, habere quandam certitudinem conjecturalem, seu ad summum moralem suæ prædestinationis. Prob. assignando signa. Primum est bonæ vitæ decursus. Ita Aug. de dono persever. cap. 22. Secundum, testimonium conscientie a gravioribus peccatis puræ, & paratæ mori potius, quam Deum offendere. Ita Bern. serm. 1. & 2. in octav. Paschæ. Tertium, adversitates huius vitæ patienter propter Deum tolerare. Ita Chrysostomus in illa verba Luc. 16. *Filii recordare, quia recepti sunt bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Quartum, libenter audire verbum Dei. Ita Greg. hom. 18. in Evang. juxta illud Joann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quintum, misericordia in pauperes. Ita Aug. Tract. 5. in 1. Ep. Joann. & juxta illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Sextum, dilectio inimicorum juxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri, qui in calis est.* Septimum, humilitas. Ita Greg. in Job cap. 41. Unde Christus vocat Electos pusillum gregem, maxime ob humilitatis devotionem, inquit venerab. Beda. Quidam octavum addunt, & bene, devotionem specialem erga B. Virginem, de qua canit Ecclesia, *Qui me invenit, invenit vitam, & hæret salutem a Domino.* Ita ex Bern. Anselmo, & aliis.

Si petas, quantus sit numerus Prædestinatorum? R. Dicunt (*Hic art. 7. o.*) quidam, quod tot ex humilibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quod Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli ceciderunt; & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur cum Ecclesia, quod soli Deo sit cognitus numerus Electorum, in superna felicitate locandus.

Ceterum, absolute loquendo, & nulla facta comparatione ad reprobos, potest dici, quod sit ingens numerus prædestinatorum; ex Apocalyps. 7. ubi dicitur: *Audivi numerum signatorum, centum quadraginta millia signati, &c.* Et post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.

Comparative autem ad reprobos, pauciores sunt, qui damnantur, ut ait Aug. l. 2. operis imperf. contra Julianum c. 142. juxta illud Matth. 7. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et patet, quia Christiani sunt pauciores, quam Infideles. Et inter Christianos, quot sunt hæretici alieni a communione Ecclesie, extra quam non est salus?

Utrum vero ex Christianis Catholicis minor sit numerus prædestinatorum, quam reprobos, disputant Theologi, sed incertis utriusque fundamentis: unde responsione ut dubiam dimittimus.

ARTICULUS VIII.

De reprobatione.

An, & quid sit Reprobatio?

Reprobare vi nominis est rejicere, quod menti, vel voluntati occurrat: etiam & falsa reprobamus mente, & mala seu minus bona & fini inutilia reprobamus voluntate. Hac voce utuntur Theologi ad significandum actum illum mentis in Deo, quo ab æterno statuit aliquos a vita æterna rejicere, quo etiam sensu eam usurpat Apost. 1. ad Cor. 9. dum dicit: *Castingo corpus meum, ne... reprobis efficiar.*

Dico 1. (*Hic q. 23. art. 3. o.*) Datur in Deo reprobatio aliquorum. Conclusio sic simpliciter posita a nemine negatur, sed circa modum explicandi reprobationem est contentio, de qua modo.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ, licet nomine reprobationis rarius utatur, rem tamen eo nomine significatam aliis terminis æquivalentibus aperte significat; scilicet sub nomine *Repulsiōnis* Ps. 87. *Despectionis* Eccl. 7. *Maledictionis*, Matth. 25. *Hæretorum*, ibid. *proscriptionis* in diem malum. Ep. Jud. *Vasorum iræ & contumelie* ad Rom. 8. *Filii gehemæ* Matth. 23. *Filii perditionis*. Joann. 27.

2. Ex Conc. Valent. sub Leone IV. Can. 3. *Fidenter fateamur prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

3. Ratione. (*Ibid.*) Ad providentiam provisoris universalis pertinet, ut in rebus defectibus, quæ illi subjiciuntur, aliquas permittat deficere propter bonum totius universi; atque per divinam providentiam creaturæ intellectuales ex natura sua defectibiles ad gloriam ordinantur: ergo ad hanc providentiam pertinet, ut permittat aliquos ab isto fine deficere, & hoc dicitur reprobare. Item nihil Deus exequitur in tempore, quod non decrevit ab æterno; atque in tempore aliquos reprobavit, ut patet ex illo Matth. 25. *Discidite a me maledicti:* ergo.

Dico 2. Reprobatio non consistit in mera negatione prædestinationis, sed in actu positivo, quo Deus vult permittere aliquos sua culpa deficere a gloria, & propter culpam infligere damnationis poenam.

Prob. 1. (*Ibid.*) Reprobatio est pars objectiva providentiæ; atque providentiæ importat actum positivum tum intellectus, tum voluntatis, ut diximus de providentiâ: ergo.

2. Ex reprobatione sequitur infallibiliter æternæ damnationis poena; atque ex mera negatione prædestinationis, seu suspensione actus in Deo non sequeretur damnationis poena; nam, si Deus suspenderet omnem actum erga non prædestinatos, nec haberent beatitudinem, nec poenæ luere; & quavis de facto non detur tale medium, daretur tamen in hypothesi. 3. In dicta hypothesi Angeli & homines possibiles possunt dici reprobati, quia non sunt prædestinati. 4. Tandem perfectior modus agendi tribui debet Deo; is autem est per actum positivum, & non per suspensionem omnis actus.

Dices S. Th. hic art. 3. ad 1. dicit: *In quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum; quod est vita æterna, dicitur habere odium, vel reprobare.* Similiter Scriptura nominibus negativis reprobationem exprimit: Ergo R. To. *Non vult* apud S. Th. non esse accipiendum negative pro negatione voluntatis, sed pro actu positivo nolitionis. Patet tum ex 1. nostra ratione, quæ est S. Doctoris; tum quia subdit ibidem, quod reprobatio includit voluntatem, audis voluntatem, permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa. Scriptura autem interdum solet ponere nomina negativa pro positivis, ut in Ps. 43. *De gente non sancta, id est, peccatrice.*

Hinc inferes 1. reprobationem, non secus ac providentiam, cuius est pars objectiva, consistere in actu intellectus, supponente actum voluntatis.

Inferes 1. (*Ibid.*) reprobationem recte definiti, providentiam de his, qui deficiunt a fine, cum voluntate permittendi culpam, & propter culpam infligendi damnationis poenam; seu, quod idem est, decretum, quo Deus vult permittere, ut aliqui sua culpa a gloria decendant, & pro culpa infligendi damnationis poenam.

Inferes 3. Non potuisse definiti reprobationem, quod sit preparatio mediolorum, quibus certissime peccant, qui peccant, sicut definita est prædestinatio, quod sit preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur; quia omne medium salutis est a Deo, & effectus prædestinationis, sed medium perditionis, scilicet peccatum, non est a Deo, nec effectus reprobationis, sed est a nobis: imò Deus nihil per se ordinat ad culpam, quam nullatenus intendit, atque idem ante culpam nihil preparat ad finem reprobationis, sed solum permittit se habere; supposita tamen culpa, poenam preparat.

In

ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Inferes 4. quod, licet reprobatio sit unica, possit tamen dividit in negativam, & positivam tamquam in duo mania inæquæquata; cum enim definitur voluntas permittendi, ut aliqui sua culpa deficiant a gloria, & propter culpam infligendi damnationis poenam, quatenus importat voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa deficiant a fine, dicitur negativa; non quod non sit actus positivus, ut dictum est, sed quia nihil efficit, sed tantum permittit; permittere autem est quasi negativè se habere. Quatenus autem importat ordinationem culpæ ad poenam æternam, dicitur positiva; quia jam aliquid faciendum decernit, nempe poenam infligendam. Unde reprobatio negativa includit tantum terminum a quo, scilicet gloriam a qua reprobi permittuntur deficere, reprobatio autem positiva includit insuper terminum ad quem, scilicet poenam damni, & sensus, quam Deus illis decernit.

ARTICULUS IX.

De Motivo Reprobationis.

Quæstio est de reprobatione ut sic, pro ut spectat Angelos & homines: utrum autem aliquid speciale, scilicet peccatum originale ingrediatur motivum reprobationis hominum, dicam infra.

Item quæstio est tam de reprobatione positiva, quam negativa. Id observandum est, plures Thomistas per reprobationem negativam non intelligere, sicut nos, simplicem permissionem deficiendi a fine, sed positivam exclusionem a gloria tamquam a beneficio indebito, quam idem vult esse gratuitam & independentem a prævisis demeritis. Ut prius, quod apud omnes Catholicos certum est, statuamus, sit

§. I. De Motivo Reprobationis positivæ.

Dico: Reprobatio positiva, tam Angelorum quam hominum, est ex prævisis demeritis. Hoc est, Deus nemini decernit poenam æternæ damnationis nisi propter prævisa peccata. Ita omnes Catholici contra Calvinum, & alios Prædestinatos.

Prob. 1. ex iis omnibus Scripturæ locis, quibus commendatur Dei bonitas in hoc maxime, quod poenas, & supplicia non velit, nisi quibus cogentibus nostris demeritis. Eccl. 33. *Nolo mortem impiis, sed ut convertatur, & vivat.* Sap. 1. *Deus mortem non fecit: nec letatur in perditione vivorum... impiis manibus, & verbis accersierunt illam.* Osæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* 2. Pet. 3. *Patienter agite Deum propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad patientiam reverti.* Et alia plura similia.

2. Ex Conc. Valentino jam cit. *Fidenter fateamur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonorum in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei iudicium. Neque dicas, Concilium loqui, non de intentione, sed de executione poenæ, quæ culpam supponit; sic enim non staret discrimen, quod ponit inter prædestinationem, & reprobationem, cum etiam prædestinatio in executione supponat merita.

3. Ex Patribus. Damasc. l. 2. de fide c. 26. *Deus ex seipso movetur ad miserendum, ad puniendum non nisi ex præsupposita culpa.* Apoc. l. 3. contra Jul. c. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Quod verum est, non solum de ipsa damnationis executione, sed etiam de ipsa intentione. Nam justus iudex non solum non punit, sed nec intendit punire, nisi præsupposita culpa.

4. ratione: Deus nihil vult, nisi secundum quod habet rationem boni; atque poena ex se non habet rationem boni, sed solum præsupposita culpa; non enim est bonum, quod quis puniatur, nisi peccaverit; imò contrarium foret malum, & injustum, & idem punitio dicitur bonum occasionatum: ergo Deus non vult poenam, nisi præsupposita culpa.

Et hinc patet, cur in prædestinatione gloria potest intendi ut corona, & præmium ante prævisa merita, licet in executione pendat a meritis; poena vero non possit intendi ante prævisa demerita; quia nempe corona, & præmium est aliquid de se bonum, & idem potest esse 1. efficaciter volitum, & ex ejus volitione media preparari; poena autem, ut dixi, non est nisi bonum occasionatum ex præsupposita culpa. Aliud discrimen est, quod prædestinatio sit causa mediolorum, quæ conducunt ad gloriam; reprobatio autem non est causa ejus, quod conducit ad poenam, scilicet culpam. Unde potest Deus gratis velle dare alicui gloriam ut præmium, antequam ex ejus parte prævideat merita, quia ipse est, qui illa confert; at ejus justitiam. *Billuart. Pars Prima.*

tiz, & bonitati repugnat, quod velit alicui poenam, antequam aliquid demeritum ex ejus parte prævideat. Et sic præoccupata manet præcipua objectio. Attamen

Dices insuper: qui vult finem, vult prius media, quæ fini sunt proximiora, quam quæ remotiora; quod enim est posterius in executione, est prius in intentione; atque Deus vult manifestationem suæ justitiæ ut finem reprobationis, medium ipsi proximius est punitio, in qua immediate relucet, postea permissio culpæ, ergo prius vult punitioem, quam permissionem culpæ. R. D. Maj. qui vult finem, vult prius media fini proximiora, secundum quod sunt illi fini apta, C. Maj. secus. N. Maj. Punitio autem volita ante culpam non est medium aptum ad ostensionem justitiæ, sed potius sic præmaturo volita est contraria justitiæ, & sapit crudelitatem; & idem ex hoc, quod Deus velit ostensionem suæ justitiæ, non sequitur quod velit punitioem, deinde permittat culpam; sed e contra, quod non velit punitioem, nisi præsupposita culpa, quia sic tantum exercetur justitia.

§. II. De Motivo Reprobationis negativæ.

Impugnatur exclusio positivæ a gloria titulo beneficii indebiti.

I, qui adhibita scientia media, docent prædestinationem esse ex prævisis meritis, docent pariter reprobationem etiam negativam Angelorum, & hominum esse ex prævisis demeritis. Dicunt enim, Deum neminem prædestinasse ad gloriam, aut ab ea rejicisse, antequam per scientiam mediam exploraverit, qui gratiæ versatili ex innata libertate essent consensuri, qui dissensuri; & eos, quos vidit perseveranter consensuros, elegisse ad gloriam; quos prævidit finaliter dissensuros, rejicisse. Quæ sententia sufficienter impugnata manet ex dictis de scientia media, de decretis efficacibus, & de prædestinatione gratuita.

Sunt alii Theologi, vulgò dicti Augustiniani, qui cum Molinistis censent reprobationem malorum Angelorum etiam negativam esse ex prævisis peccato, in quod liberè prolapsi sunt: quia tam in Angelis, quam in homine ante lapsum non agnoscunt necessitatem gratiæ efficacis, sed tantum gratiæ versatilis: indeque concludunt, Deum non potuisse aliquos Angelos reprobare, quin prius exploraverit per scientiam mediam, quinam his gratis versatilibus bene, & perseveranter essent usuri, qui non. Quod principium ex locis jam citatis confutatum manet, & specialius confutabimus, dum de gratia. Quantum ad Reprobationem negativam hominum in statu naturæ lapsæ, dicunt esse factam ex prævisis peccato originali. De quo §. subsequenti.

His igitur opinionibus nunc omissis, concertato nobis esse cum quibusdam Thomistis, qui reponunt reprobationem negativam, tam Angelorum quam hominum, in exclusionem positivam a gloria tamquam a beneficio indebito; sicque esse gratuitam, & ante prævisa, demerita. Ex hac autem intentione excludendi positivam a gloria volunt Deum progredi ad præparandum medium, quo hæc exclusio habeatur, scilicet permissionem peccati, qua prævisa sic exclusus decernit æternam damnationis poenam, nempe poenam sensus, & poenam damni, quæ est ipsa exclusio a gloria, non amplius ut a beneficio indebito, sed tamquam poena pro culpa. Nolunt enim, primam exclusionem a regno esse poenam, sed tantum secundam, quia, inquit, prima est mera negatio rei indebitæ; secunda est privatio propter culpam. Sicut, si Rex denegat alicui dignitatem, quæ ipsi non debetur, non est poena; si autem ipsi denegat propter ejus demerita, aliquoquin concessurus, est poena. Ita Alvarez, Salmantic. Joann. a S. Thom. Gonet, Contenson, & alii.

Nos vero hujusmodi reprobationem negativam non agnoscimus, cujus ne vestigium reperimus in S. Thom. eamque durior arbitramur. Dicimus autem cum S. Doct. ut patet ex artic. præcedenti, Reprobationem negativam nihil aliud esse, quam voluntatem permittendi, ut aliqui sua voluntate, & culpa deficiant a gloria; eamque concedimus esse ante prævisa demerita, ut dicemus, postquam præsentem quorundam Thomistarum opinionem ut minus veram ostenderimus. Unde

Dico: Deus neminem positivè excludit a gloria titulo beneficii indebiti, & ante prævisa demerita. Sicque Reprobatio negativa non est voluntas excludendi a gloria ante culpam; sed voluntas permittendi, ut aliqui sua culpa excidant a gloria. Ita post Capreol. Cajet. hic art. 5. Ferrariensem 3. contra Genr. c. 161. Nazarium hic art. 3. controv. 1. Marcum Serra hic a. 3. Dub. 2. ad 2. doctissimi Patres Anton. Goudin Tract. 3. quæst. 3. art. 1. de Reprob. & Hyacinthus de Graveson 3. classe Ep. Ep. 9. a quibus, quæ hic dicturi sumus, magna ex parte mutuabimus.

Prob. 1. argumento desumpto ex Scriptura. Juxta Scripturam, & præsertim Apost. Deus quantum ex se est, vult succurrere, ut

ut omnes salvi fiant, ita ut eorum damnatio ex ipsis solis proveniat: atqui, si Deus ante omnem culpam ex parte reprobri prævisam decrevisset positivè eam a gloria, & salute aeterna excludere; atque ad id ut ad finem a se intentum media conquireret, palam est, quòd quantum est ex se non modo non velle eum salvari, sed e contra velle eum a salute excludi, & in aeternum perire: ergo ante peccatum non fuit talis voluntas in Deo, sed nuda permissio, ut quidam sua voluntate, & culpa a vita aeterna exciderent.

Respondent adversarii, voluntatem salutis reproborum esse antecedentem, quæ non obstat voluntati consequenti eos excludendi a salute, & vita aeterna. Sed contra, equidè voluntas consequens excludendi a salute propter circumstantiam culpæ ex parte reprobri non obstat voluntati salvandi, quantum est ex parte Dei. Non enim repugnat, quòd Deus aliquos, quantum est ex se, velit salvare, quos tamen attempta eorum culpa vult damnare: ut explicatur exemplo iudicis, qui vult furem occidi propter culpam, quem velle ante culpam vivere. Sed voluntas consequens excludendi a salute, & gloria citrà omnem culpam nullatenus stat cum voluntate antecedente salvandi, quantum est ex parte Dei. Quia enim alia circumstantia præter culpam posset moveri Deus, ut citrà contradictionem velle consequenter excludere a gloria, & salute, quos antecedenter, quantum est ex se, vult salvari? non, ut ostendatur defectibilitas liberi arbitrii; non, ut sinat creaturas suos motus agere; non, ut agnoscamus gratiæ necessitatem; non, ut ostendatur gratiam efficacem nemini esse debitam; non, ut magis splendat aliorum virtus, ut alia similes circumstantiæ; ad hæc enim omnia nihil conducit exclusio a gloria ante prævisam culpam; sed ista omnia fiunt ex sola permissione culpæ. Si dicas, ut ostendatur gloriam nemini deberi; R. id sufficienter ostendi permittendo, ut aliqui ab illa deficiant. Insuper ordinatis ad gloriam per voluntatem antecedentem eam aliquo sensu deberi, dicam modo.

Prob. Ex S. Thom. qui in explicanda reprobatione nunquam meminit illius voluntatis positivæ excludendi a gloria ante culpam; sed eam explicat per nudam permissionem deficiendi a fine ultimo, & cadendi in culpam, eaque supposita infligendi damnationis poenam. *Perinet*, inquit S. Doct. hic art. 3. o. ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine (gloriæ) deficere, & hoc dicitur reprobare. Et in fine corporis. *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa.*

Confirmatur 1. Juxta S. Thom. ut vidimus diss. præcedenti art. 4. §. 3. ratio, cur aliquis non habeat gratiam, non est, quia Deus non vult illam ei dare, sed quia ipse eam non vult habere, & ei ponit impedimentum; atqui gratia est minus debita naturæ, quam debeat gloria illis, qui gratiam habent: ergo a fortiori Deus neminem excludit a gloria, nisi quia iste prius vult ab ea deficere.

Confirmatur 2. ex alio principio D. Thom. 1. 2. 4. 79. a. 1. ubi dicit: *Quia Deus omnia inclinat, & convertit ad se sicut in ultimum finem, impossibile est, quòd sit sibi vel aliis causa discendendi ab ordine, qui est in ipsum;* atqui creaturam ad ordinem gloriæ elevatam deficere a gloria, est discedere a Deo ut ultimo fine: ergo impossibile est, quòd Deus velit positivè hunc defectum a gloria, rejiciendo creaturam ab illo fine, antequam ipsa ab illo sua culpa deficiat. Quod opponunt adversarii ex S. Thom. ad Hannibaldum, diluemus modo.

Prob. 3. Ratione non semel jam proposita ex D. Th. Deus nunquamque vult, secundum quòd habet rationem boni; atqui quòd aliquis, ordinatus ad gloriam ut ad suum summum bonum, ab ea excludatur, non est secundum se bonum, sed solum si ea per culpam se indignum præbeat; undè reipsa in executione nemo ab ea nisi propter culpam excluditur, imò secundum ordinem justitiæ aliter fieri nequit: ergo. Confirmatur: Deus non vult poenam ante culpam, ut concedunt adversarii; atqui a gloria in æternum excludi est gravissima poena, & summa miseria, imò ipsa essentialis damnatio, nempe poena damni ergo.

Scio, adversarios respondere exclusionem a gloria in executione, ut est privato beatitudinis propter culpam, esse quidè damnationis poenam, at non item in intentione tanquam a beneficio indebito. Sicut, inquit, si Rex dignitatem alicui denegat, cui non debetur, poena non est; si autem eam denegat propter culpam, alioquin concessurus, poena est. Sed contra 1. gloria, sive sit beneficium debitum, sive non, de quo modo, ut tamen res se habet, est summum, & unicum verum bonum creaturæ rationalis, extrà quòd nihil ipsi superest nisi summa miseria: ergo, quovis titulo ab illa excludatur, excluditur a summo, & unico suo bono, & in summam miseriam ducitur: ergo, quovis titulo ante culpam decernatur hæc exclusio, nihil est aliud quam summam miseriam ante culpam decernere. Idque eo verius est, quòd, supposita elevatione ho-

minis ad ordinem supernaturalem, naturalis ejus felicitas ita conjuncta est cum supernaturali, ut extrà supernaturalem naturalem nequeat haberi. Undè excludi a supernaturali est excludi a naturali. Quapropter, si Deus ante culpam vult excludere reprobos a gloria, eo ipso vult eos excludere a felicitate sua naturali, id est, vult innocentes esse in æternum supernaturaliter, & naturaliter miseros. Et hiuc non juvat adversarios, sed potius ipsis obdat exemplum alitum. Estò enim poena non sit, cum Rex denegat alicui dignitatem ipsi non debitam, sine qua felicem vitam ducere potest; si tamen aliquem ad certam dignitatem ita ordinasset, ut in ea tota ejus felicitas consisteret, & sine ea summè miser esset; hoc ipso quo illi eam denegaret, eum a tota sua felicitate deiceret, & summè miserum efficeret. Cum ergo Deus ordinaverit omnem creaturam intellectualè ad gloriam, ut ad suam felicitatem, ita ut extrà eam non nisi miser esse possit tam naturaliter, quam supernaturaliter, quovis titulo eam a gloria excludat, miseram constituit.

2. Responsio adversariorum falsum supponit, nempe gloriam se habere ad reprobos, ut aliquid prorsus indebitum. Nam hoc ipso, quo homo ordinatus est a Deo ad gloriam, gloria vi hujus ordinationis fit ipsi quodammodo debita, ad illamque habet jus saltem inchoatum, non quidem suis meritis iniunctum, sed fidelitatis, & sinceritatis divinæ ordinationis; a qua idè Deus ipsum excludere non potest, nisi per suam culpam ea se præbeat indignum.

Prob. ultimo ex implicita sententiæ oppositæ. Dicunt adversarii, Deum in negotio reprobationis incepisse ab intentione manifestandi justitiam suam punitivam, & vi hujus intentionis statim exclusisse reprobos a gloria ut a beneficio indebito, postea decrevisse permittere culpam: atqui exclusio a beneficio indebito, & ante culpam est medium prorsus incongruum, imò repugnans ad ostensionem justitiæ punitivæ, ut patet; quia potius ostendit, ad justitiam punitivam in ea non habere locum: ergo.

Dicendum itaque, & firmiter tenendum arbitramur, Deum ante culpam non modo non velle aliquos excludere a gloria, sed etiam velle, quantum est ex se, omnes ad eam pervenire, secundum tamen quòd eorum conditio, & suæ sapientiæ ordo patitur; eaque est voluntas sincerè omnes ordinari ad gloriam, & illis media preparari. Sed quia liberum arbitrium deficere potest, a solo autem Deo inefficentiam habet, idè ab æterno proposuit Deus, quòd quosdam permetteret deficere per suam culpam a gloria; sic enim postulabat, & naturæ defectibilis conditio, & providentiæ ordo, & ipsum universalitatis bonum, splendorque justitiæ, quæ locum non haberet, si nulla culpa permetteretur, aut permissa per misericordiam deleteretur. Aliis verò proposuit auxilia efficaciter apponere, ne deficerent, sed ad gloriam infallibiliter pervenirent. Et sic facta est istorum electio, illorum verò reprobatio inchoata. Defectum verò culpæ jam prævisum ordinat Deus in bonum justitiæ, ipsi decernendo poenam damnationis; & sic completur reprobatio, quæ, ut dixi, est voluntas permittendi culpam, & pro culpa infligendi damnationis poenam.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum nostro Goneto illud ad Rom. 9. *Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali, dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui:* ubi reprobri, per Esau figurati, dicuntur odio habiti, cum nondum quidquam mali egissent; atqui per odium illud intelligitur voluntas excludendi a Regno: ergo. R. N. Min. Odium enim ibi sumitur largè, & improprie pro minori dilectione, quatenus Deus non vult reprobis, sicut vult electis, salutem voluntate consequente. Ità hunc locum explicat S. Thom. in 3. d. 32. quest. 1. art. 2. ad 4. Undè odium illud ut culpam præcedens non est voluntas excludendi a gloria, sed solum non adjuvandi efficaciter ad gloriam, idè quæ non odium propriè dicitur, sed minor dilectio, quæ comparatione majoris dilectionis largo modo dicitur odium; sicut, cum Christus Luc. 14. dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, et matrem... adhuc autem et animam suam, id est, si non minus quam me diligit, non potest meus esse discipulus.*

Obj. 2. cum eodem illud solemne D. Thom. ad Hannibaldum d. 41. art. 3. *Voluntas divina de salute hominis duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de contradictorio, secundum quòd vult aliquem non salvare, et voluntas de contrario, secundum quòd vult aliquem damnare. Prima voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriæ non sit debitum humane nature, non enim requiritur ratio, quare non dem, cui dare non debet; sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito inferatur; atqui velle non salvare idem est ac velle excludere a glo-*

ria:

ria: ergo. R. 1. Eruditissimum nostrum P. Ehard multis momentis evincere, hoc opus ad Hannibaldum non esse D. Thom. Præsertim quia ante Thomam Nerium ann. 1360. nullus nostrorum illud inter opera S. Doctoris recensuit, neque Tholomæus de Luca, neque Bernardus Guidonis, nec Guillelmus de Tocco, nec S. Antoninus, neque alii. E contra vero istud commentarium sub nomine Fratris Hannibaldi Cardinalis a pluribus antiquis citatur, a nostro Rainerio de Pisis in sua Pantheologia, quam scribebat ann. 1333. a Banello Tract. de Concept. B. V. c. 23. a Dionysio Cardus. in 2. d. 1. q. 1. p. 9. & alibi. Causæ hallucinationis fuerunt, 1. conformitas doctrinæ hujus operis in pluribus cum altero fusiori scripto S. Thom. in easdem sententiis. 2. Testimonium Tholomæi de Luca nialè intellectum, cum potius eadem rationes hoc opus & S. Thomæ abjudicet, & Hannibaldum asserant, si ipsa Tholomæi verba rite expendantur. Is fuerat Discipulus S. Thom. Sic autem habet Hist. Eccl. l. 22. c. 23. *F. Hannibaldus fecit scripta super sententiis, quæ intulit D. Hannibaldus, quæ nihil aliud sunt quam abbreviatio dictionum F. Thomæ. En certo Auctor operis: F. Hannibaldus fecit.* En ratio conformitatis doctrinæ; abbreviatio dictionum F. Thomæ. Undè, cum dicit, *quæ intulit D. Hannibaldus*, non significat, quòd D. Hannibaldus sint dicata, sed quòd vulgò sub nomine D. Hannibaldi circumferantur; qui modus loquendi Bibliothecariis est etiam nunc familiaris, cum alicujus operis Auctorem indicant: Hæc, inquit, tali vel tali inscribuntur, vel inscripta sunt opera, id est, sunt hujus vel illius Auctoris. Vide plura apud Ehard, *Scriptores Ord. Præd.* tom. 1. pag. 261. Et hinc corrigit unicum fundamentum, quòd habent adversarii ex S. Thom.

R. 2. Sed dato, hoc opus esse genuinum S. Thom. factum, nihil ideo obtinet adversarii; N. enim Min. argumenti: quia Auctor per voluntatem non salvandi non intelligit voluntatem excludendi a gloria; hæc enim non solum contradictoriè, sed contrariè opponitur voluntati salvandi, & perinde est ac voluntas damnandi; nam, sicut Deus, dum in executione excludit Reprobos a gloria, revera damnat; ita cum vult excludere, vult damnare. Igitur Auctor per voluntatem non salvandi intelligit solum voluntatem non adjuvandi efficaciter ad salutem; hæc enim est, quæ opponitur contradictoriè, & non contrariè, voluntati salvandi, & quæ non requirit rationem ex parte nostra; quamvis enim habenti gratiam debeat gloria, nisi per culpam se indignum præbeat, non tamen debetur ei, ut per auxilia efficaciter infallibiliter perducatur ad gloriam: & hoc sensu dixit Auctor, salutem gloriæ non esse debitam humane nature, ut scilicet ipsi efficaciter, & infallibiliter conferatur. Undè etiam ante culpam potest Deus titulo beneficii indebiti velle ipsum non salvare, hoc est, non adjuvare efficaciter, quòd est velle permittere, ut per culpam a gloria decedat.

Obj. 3. cum eodem: Deus cum ordinatè procedat, prius intendit finem quam media; atqui in negotio reprobationis exclusio a gloria est finis, permissio peccati est medium: ergo prius intendit exclusionem a gloria, quam permissionem peccati. Confirmatur exemplo prædestinationis, quæ incipit ab intentione dandi gloriam, deinde media preparat: ergo a pari reprobatio incipit ab intentione excludendi a gloria, deinde preparat media. R. 1. N. Min. Falsum quippe est, exclusionem a gloria, ut a beneficio indebito, sicut intelligunt adversarii, esse finem in reprobatione. Finis enim est, ad quem pervenitur; Deus autem neminem in executione excludit a gloria, ut a beneficio indebito, sed solum in poenam peccati. Undè si argumentum probaret aliquid, probaret Deum incepisse ab intentione excludendi a gloria in poenam peccati, id est ab ipsa damnatione, quòd non concedunt adversarii. Sed majoris explanationis ergo.

R. 2. D. Min. In reprobatione exclusio a gloria est finis, ad quem culpa permissa, & prævisi ordinatur, C. Min. Est finis, propter quem culpa permittitur, N. Min. Non ergo Deus, ut dixi, in negotio reprobationis 1. incipit ab intentione excludendi a gloria, & ex vi illius intentionis eligit permittere peccatum tanquam medium ad hunc finem obtinendum. Sed sic res se habet: 1. Vult complementum, & bonum totius universi, postulans, ut in eo sint omnium rerum ordines, atque inter alia ordo justitiæ punitivæ. Ex hac prima intentione non statim, & immediatè intendit efficaciter excludere a gloria; quia exclusio a gloria ante culpam, quovis modo sumatur, non est medium ad ostensionem justitiæ punitivæ, non ut est tanquam a beneficio indebito, ut dicebam in ultima probatione; neque ut est poena, quia velle poenam ante culpam et contra repugnat justitiæ, & sapit crudelitatem. Ex hac ergo prima intentione boni totius universi postulantis ordinem justitiæ, statim & immediatè vult simpliciter permittere culpam; deinde culpam permissam & prævisam ordinat ad poenam, quòd est bonum, quia justum; est enim justum, ut culpa poena plectatur; & in hoc relucet justitiam. *Theol. Billuart. Pars Prima.*

titia. Nec est simile de prædestinatione, in qua Deus 1. intendit manifestare suam misericordiam; ex hac prima intentione statim & immediatè gratis vult conferre gloriam illis, quos prædestinat, quia id maxime manifestat misericordiam; deinde vult, & conferre media efficaciter ad illam gloriam consequendam, quòd est misericordiæ complementum. Ratio primordialis horum omnium est; quòd providentia divina aliter se habeat ad bona, aliter ad mala. Bona, quia secundum se appetibilia, per se intendit; mala, quia secundum se non appetibilia, per se non intendit, sed permittit tantum, & ea permissa ordinat ad aliquid bonum, nec permetteret nisi ex intentione alicujus boni. Porro pervenire ad finem, quòd respicit prædestinationem, est bonum; deficere a fine, quòd respicit reprobationem, est malum in illis, qui deficiunt. Licet ergo Deus prædestinando possit 1. intendere, & revera intendit assecutionem finis, seu gloriæ, quia hoc est bonum, & inde preparat media efficaciter ad illam: in reprobatione tamen non potest 1. intendere defectum a fine, seu gloria, quia hoc malum est; nec quidquam ad illum ordinat ut medium, sed permittit duntaxat, ut aliqui ab illo fine sua culpa deficiant, deinde culpam permissam ordinat ad poenam, quòd est bonum, ut dictum est. Et hinc patet Responsio ad confirmationem.

Inst. cum eodem. Eodem instanti, & actu, quo Deus prædestinatos elegit ad gloriam, ceteros omnes ab ea exclusit; atqui electio prædestinatorum meritorum, & demeritum anteverit ergo & exclusio reproborum. R. D. Maj. Eodem instanti, & actu, quo Deus prædestinatos elegit ad gloriam, ceteros omnes ab ea exclusit positivè, N. Permissivè, C. & concessa Min. D. Conseq. ergo exclusio permissiva reproborum anteverit demerita, C. positiva, N. Deus ergo prædestinando aliquos non format hunc actum: volo ceteros rejicere a gloria; sed istud: volo permittere, ut ceteri sua culpa decedant a gloria; qui actus est quidè exclusio ab electione efficaci ad gloriam, sed non exclusio positiva ab ipsa gloria; & eo non obstante Reprobi manent semper ordinati ad gloriam, ita ut nisi seipos impedirent, ad eam pervenirent, nec per Deum, qui semper ex se paratus est adjuvare, stat quin ad eam perveniant: staret autem per Deum, si primum actum habuissent, quia ipse esset, qui eos a gloria repelleret, & salutis janam occluderet. Aliud est ergo excludi positivè a gloria, aliud excludi ab electione efficaci ad gloriam. Negamus quidè, Reprobos ante culpam excludi positivè a gloria, tanquam a beneficio indebito: ut concedimus, ipsos ante culpam excludi ab electione efficaci ad gloriam; quia, licet illis, qui per gratiam ordinantur ad gloriam, sic debeat gloria, ut ab ea excludi non possint, nisi propter culpam; non idè ipsis debetur electio efficaciter ad istam gloriam, alioquin omnes salvarentur: undè ante culpam possunt excludi ab ista electione efficaci ad gloriam, tanquam a beneficio indebito, quòd fit permittendo eos suæ fragilitati. Quòd si forte adversarii nihil aliud intelligunt quam istam exclusionem ab electione efficaci ad gloriam, & non positivam, & immediatam exclusionem a gloria, reipsa convenimus: sed peccant in modo loquendi, dum dicunt Deum ante culpam intendisse positivè excludere a gloria, & ad id media præparasse; id enim exprimit voluntatem positivam ab ea rejiciendi.

At dices: sive hæc exclusio explicetur per modum positivæ voluntatis rejiciendi a gloria, sive per solam ab ea deficiendi permissionem, idem sequitur effectus; reprobi enim perinde a gloria infallibiliter deficient, & peribunt; ergo frustra negatur exclusio positiva, ut statuatur permissiva. R. D. Ant. Idem sequitur effectus ex parte reprobri, C. ex parte Dei, N. etenim juxta priorem modum Deus esset Auctor, cur aliqui non salvarentur; quia ipse esset, qui eos a salute repelleret, & ad id media præpararet, quòd nullatenus debet concedi: at juxta posteriorem modum clarè intelligitur, neminem voluntate Dei, sed sua solum culpa, excidere, a gloria, Deo ad id tantum permissivè se habente. Sicut, sive Deus culpam decernat decreto effectivo, ut vult Calvinus, sive decreto solum permissivo, ut volunt Catholici, perinde culpa infallibiliter sequetur; sed cum hoc discrimine, quòd in priori hypothesi Deus erit auctor peccati, non in secunda. Cum ergo Deus ut culpæ, ita & perditionis (quæ sita est in exclusionem a gloria) non sit dicendus auctor, sicut dicimus Deum solum permittere peccatum, ita dicere debemus Deum solum permittere, ut aliqui sua culpa a gloria deficiant.

§. III. Assignatur motuum Reprobationis negativæ in genere.

Intelligimus semper reprobationem negativam, prout hucusque definivimus, & defendimus ex D. Thom. scilicet voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa a gloria deficiant. Potest autem considerari dupliciter, vel absolute, vel comparatè; absolute ut est reprobatio aliorum, comparatè ut est reprobatio istorum potius, quam illorum, & de utraque queritur.

Suppono 1. Absolutam reprobationem negativam non esse omnino gratiam, sed habere pro motivo aliquod bonum; quia, ut jam non semel dixi, Deus nihil vult nisi secundum quod habet rationem boni: permittit autem aliquas creaturas intellectuales ordinatas ad vitam æternam ab ea deficere, non exprimit secundum se rationem boni; quia hoc non est velle bonum, sed permittere defectum: ergo Deus non vult permittere hunc defectum, in quo sita est reprobatio negativa merè gratiæ, sed propter aliquod bonum: unde illud Aug. Ench. c. 11. *Deus nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque ad eum esset omnipotens, & bonus, ut beneficeret etiam de malo.*

Suppono 2. Reprobationem negativam habere aliquod fundamentum ex parte creaturæ, nempe naturalem ejus defectibilitatem. Si enim ex se non esset defectibilis, Deus, qui est fons totius bonitatis, non permitteret eam deficere: hæc tamen defectibilitas non est propriè motivum reprobationis; non enim Deus permittit defectum propter naturæ defectibilitatem ut motivum, sed propter aliquod bonum inde procurandum. Et idè defectibilitas naturæ est potius conditio sine qua non, seu aptitudo, & dispositio ex parte materiæ ad defectum. Et hinc jam habes, naturam defectibilem ex se aptam defectui quæritur non posse, si Deus eam suæ defectibilitati permittens non conferat abundantiores gratias, quibus a defectu præservaretur: sicut, ut exemplo Apostoli utar, massa lutæ ex sua vilitate apta visibus vilibus conquiri non potest adversus figulum, si suæ vilitati relicta ad nobiliores usus non efformaverit. Sed, cum, ut dixi, hæc naturæ defectibilitas non sit propriè motivum reprobationis, & tamen dicitur aliquod, quæritur quodnam sit? Pro quo.

Dico 1. Motivum reprobationis negativæ, absolute sumptæ, non petitur ex demeritis prævisis reprobi, sed ex divina bonitate. (*Idè art. 5. ad 3.*)

Prob. 1. pars 1. ex illo Apost. ad Rom. 8. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, Jacob dilexi, Esau odio habui; quod odium, ut dictum est, intelligitur de minori dilectione, qua quidam permittuntur suæ defectibilitati absque auxiliis specialibus a defectu præservantibus, quod est reprobare negativè.* Ex quo S. Aug. Ep. 105. l. 2. contr. duas Ep. Pelag. c. 7. & l. de præd. SS. c. 7. ostendit, nulla merita malæ actionis esse causam reprobationis. Prob. 2. Reprobatio negativa præcedit peccatum reprobi; est enim, ut diximus, voluntas permittendi, ut aliqui peccent; & peccando deficient a gloria: ergo peccatum reprobi non potest esse ejus motivum.

Prob. (*Idè*) & explicatur 2. pars discursu D. Thom. *Ipse ipsa divina bonitate ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim dicitur Deus omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas præsentetur. Necesse est autem, quod divina bonitas, que in se est ita & simplex, multiformiter representetur in rebus; propter hoc quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem uniuscuius requiruntur diversi gradus rerum, quarum quedam altum, & quedam infimum locum tenent in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediatur. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam representare bonitatem per modum misericordiæ, parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ, puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apost. ad Rom. 9. dicens: Volens Deus ostendere iram, id est, vindictam justitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit, in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divinitas gloriæ suæ in vasa misericordiæ, que preparavit in gloria. Et 2. ad Tim. 2. dicit: In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, quedam quidem in honorem, quedam in contumeliam.*

igitur secundum D. Thom. & rei veritatem motivum reprobationis petitur ex divina bonitate, quam Deus voluit multiformiter representare, in electis per modum misericordiæ, parcendo, in reprobi per modum justitiæ, puniendo; adeoque bonum justitiæ est ratio reprobationis negativæ, non tamen est totalis, nec excludens alias rationes, ut sunt completio, & bonum universi, quod privaretur multis bonis, si omnes defectibus impediuntur, & munus provisoris universalis, atque ratio providentiæ suavis, qua providetur unicuique secundum suam conditionem, & exigentiam, defectibus defectibiliter.

Dico 2. (*Idè*) Reprobatio negativa comparatè sumpta non habet rationem nisi divinam voluntatem. Ita in terminis S. Doctor subjungens ad priora verba: *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobat, non habet rationem nisi divinam voluntatem.* Idque probat tum ex August. Tract. 26. in Jo.

ubi dicit: *Quare hunc trahat, & illum non trahat? Noli velle judicare, si non vis errare: Tum ab exemplis in naturalibus, & artificialibus: Sicut, inquit, in naturalibus potest assignari ratio (cum prima materia tota sit in se uniformis) quare una pars ejus est sub forma ignis, & alia sub forma terræ a Deo in principio condita; ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate: Sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia; quamvis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa.*

Ratio etiam evincit: in his enim, qui pares sunt in defectibilitate, non potest assignari ratio, cur unus præ alio permittatur a provisorio deficere, præter voluntatem provisoris; atqui omnes creaturæ ad finem supernaturalem ordinatæ perinde possunt per peccatum ab illo deficere, & a solo Deo habere, quod non deficient: ergo ex sola Dei voluntate pendet, ut hi potius, quam illi permittantur.

Et hæc ratio concludit in omni sententia. Nam certò constat in omni sententia, Deum potuisse omnes, qui peccant, & peccant, abundantioribus auxiliis collatis a peccato, & perdizione servare, sicut alios servavit; aut saltem potuisse illos constituere in tali rerum serie, in qua datis communibus auxiliis bene usi fuissent. Quare autem non fecit? quia noluit.

Dices 1. contra 1. conclusionem, & rationem D. Thom. Absquè eo quod illis reprobat, justitia Dei manifestaretur in electis, tum illos præmiando, juxta illud Apost. *Reposita est mihi corona justitiæ*, tum illos puniendo temporaliter pro delictis, que committunt: ergo. R. quod hoc duplici modo non nisi imperfectè justitia manifestaretur. Et quantum ad 1. in eo magis elucet misericordia, quam justitia, & insuper nihil habet de justitia vindictiva. Quantum ad 2. non nisi admodum diminutè manifestaretur justitia vindictiva in penis temporalibus, nec inde innotesceret, quia debetur infinite peccati malitiæ; sicut valde diminutè manifestaretur misericordia, si Deus ad tempus tantum beatificaret electos. Exigebat ergo completio universi, ut, sicut est stabilis gradus, in quo permanentèr beatificentur electi, ita esset stabilis gradus, in quo permanentèr pleterentur reprobi pena peccato debita.

Dices 2. Velle ostendere justitiam punitivam antè prævisam culpam est velle punire antè culpam; atqui id supra impugnavimus, ut blasphemiam Calvinii: ergo. Confirmatur: velle permittere culpam ad ostensionem justitiæ, est velle permittere culpam, ut puniatur; atqui id durum est & redolet inclementiam: ergo. R. N. Maj. Nam velle punire antè culpam non est, ut dixi, medium aptum ad ostensionem justitiæ, sed potius justitiæ contrarium. Undè Deus ex intentione manifestandi justitiam 1. vult permittere culpam, deinde culpam prævisam ordinat ad punitionem; per quam manifestatur justitia; non enim puniuntur est ipsa justitiæ manifestatio, sed medium ad illam; & tale medium, ut tamen non sit finis intermedius respectu permissionis peccandi; non enim Deus vult permittere culpam ex amore, & intentione punitionis, siquidem id, ut dictum est, repugnat justitiæ. Undè ad confirmationem negandum est, quod velle permittere culpam ad ostensionem justitiæ sit velle permittere culpam, ut puniatur, seu ex intentione illam puniendi; hoc enim esset velle punire antè culpam, quod, ut dictum est, non solum non est ostensivum justitiæ, sed ipsi contrarium. Adde, ostensionem justitiæ non esse, ut observavi, rationem totalem hujus permissionis; nec alias excludere, ut sunt bonum, & completio universi, atque suavis providentia circa naturam defectibilem.

Dices 3. Deus neminem deserit, nisi prius ab eo per peccatum deseratur, ut dicit Trid.; atqui velle permittere, ut aliqui deficient a gloria, quod est reprobare negativè, est illos deserere: ergo Deus aliquos non reprobat negativè, nisi præsupposita culpa, per quam deseratur. R. 1. Plures intelligere dictum in majori de desertione per subtractionem gratiæ sanctificantis, quam Deus nemini subtrahit nisi propter peccatum præcedens; non verò de desertione per subtractionem gratiæ actualis. R. 2. Dato hæc desertionem esse intelligendam de subtractione gratiæ actualis, D. Maj. Deus neminem deserit propriè, nisi prius ab eo deseratur, C. Maj. Improprè, N. Maj. Deus itaque duplici modo intelligitur deserere aliquem: 1. permittendo eum suæ defectibilitati, seu ipsum a peccato non præservando per auxilium speciale, & efficacèr indebitum, nihil tamen aliud ab eo subtrahendo de auxiliis ordinariis, quibus si non resisteret, perveniret ab bonum; & hæc est desertio impropria, ad quam non est necesse, quod homo prius deserat Deum per peccatum, cum permissio peccati in eo modo deserendi includatur, ut patet. 2. Deus intelligitur hominem deserere, dum ab eo auxilia communia, & protectionem ordinariam, quam habet erga bonos, subtrahit: & hoc est propriè deserere; quo modo Deus neminem deserit, nisi prius per-

peccatum ab eo deseratur. Hæc secunda derelictio est poena, non prima.

Repones: docuimus supra Diss. præc. art. 4. §. 3. ex S. Thom. neminem privari auxilio efficaci nisi ex sua culpa, seu hominem privari auxilio efficaci, non quia Deus non vult dare, sed quia homo non vult accipere, & obstaculum ponit peccando & resistendo auxiliis sufficientibus. Quomodo ergo nunc dicimus, Deum antè culpam hominem improprè deserre, subtrahendo ei auxilium efficacèr? R. Hæc ita conciliari: Deus conferendo gratiam sufficientem habet voluntatem antecedentem resistat sufficienti. At posset Deus abundantiori auxilio impedire hanc resistantiam & malam voluntatem. Sed ut provisor universalis & propter altiores fines vult voluntate consequente per subtractionem istius abundantioris auxilii ipsum permittere suæ malæ voluntati. Et sic verum est, hominem privari propter culpam gratiæ efficaci, quam Deus, in collatione sufficientis, vult ab voluntate antecedente illi dare. Itèr verum est, eum antè culpam privari illa abundantiori gratiæ efficaci, qua reipsa præservaretur a defectu & mala voluntate, quia Deus voluit voluntate consequente ipsum permittere suæ defectibilitati.

Objici etiam possunt varia testimonia Aug. & aliorum Patrum; quia dicunt, Deum neminem posse damnare sine demeritis, quia justus est; sed hæc palam intelliguntur de reprobatione positiva. Unius Properi verba ad 12. object. Viacent. aliquam possent difficultatem ingegere; dicit enim de reprobis: *Voluntate ceciderunt: & quia præscitii sunt casuri, non sunt prædestinati.* R. per hæc verba: *Non sunt prædestinati*, non intelligi reprobationem merè negativam, que secundum nos est permissio cadendi, hæc enim manifestè antecedit casum; sed intelligi positivam rejectionem a gloria, que supponit culpam, ita ut *Non prædestinati*, idem sit, ac positivè reprobat.

§. IV. Utrum peccatum originale sit motivum reprobationis hominum?

UT certa ab incertis seceramus, suppono 1. Peccatum originale fuisse motivum sufficientem reprobationis omnium hominum: hoc est, Deum jure potuisse, si voluisset, propter peccatum originale reprobare omnes homines: siquidem secundum Scripturas nascuntur illi iis & rei mortis, tam temporalis, quam æternæ. Undè questio est, utrum reipsa propter illud facta sit hominum reprobatio.

Suppono 2. Nihil, ut videtur, obstat, quominus peccatum originale in iis, in quibus non remittitur, ingreditur de facto motivum reprobationis eorum. Quia peccatum antè reprobationem prævisum, & propter quod aliqui reipsa damnantur, potest meritò dici motivum reprobationis eorum: peccatum autem originale, in quibus non remittitur, habet hanc duplicem conditionem. Quantum ad secundam esse fide certum; quantum ad primam supponitur ex Tract. de Incarnatione, ubi probamus, quod Incarnatio supponat peccatum originale, & prædestinatio hominum Incarnationem; prædestinatio autem, & reprobatio simul sunt. Quod autem noster Contensonus dicat, permissionem peccati originalis esse effectum reprobationis in parvulis non baptizatis, consequenter non posse esse ejus motivum, negamus; & dicimus, derelictionem duntaxat in peccato originali esse in eis effectum reprobationis.

Si dicat, nos supra docuisse voluntatem in Deo salvandi omnes homines supponere peccatum originale; quod videtur non posse conciliari cum hoc, quod propter idem originale reprobat aliquos. R. ex voluntate antecedente salvandi omnes, etiam supposito peccato originali, hominem ordinari tantum sufficienter ad salutem, & ipsi duntaxat competere jus ad auxilia sufficientia; unde non repugnat, quod Deus propter idem peccatum originale ipsum suæ defectibilitati permittat, & ipsi denegat auxilium efficacèr præservans a defectu. Difficultas est igitur de iis, quibus peccatum originale remissum est per Baptismum. Pro quo.

Suppono 3. Peccatum originale, in quibus remissum est, posse dici duplici sensu concurrere ad reprobationem: 1. Quatenus est fons, & origo peccatorum actualium, ob que, si sint finalia, homines reprobanur. Et hoc sensu peccatum originale potest dici motivum reprobationis eorum, quibus est remissum, non formalitèr, & in se, sed radicalitèr, & in suis effectibus: & hoc est dicere, non quod peccatum originale, sed peccatum actuale ex originali promanans sit motivum reprobationis. 2. Quia, licet peccatum originale proat est macula personæ delatur per Baptismum, non tamen delatur proat est infectio naturæ: etenim per peccatum originale infirmitas naturæ est acta, & concupiscentia effecta magis effrenis, & hæc remanent, delata culpa. Undè fit, quod homo sit defectibilior, & proclivior ad peccatum, atque ob hæc majorem de-

fectibilitatem, & proclivitatem magis exigit ex sua conditione, ut permittatur deficere. Siquè peccatum originale, in quibus remissum est, ratione hujus majoris defectibilitatis, & ardentioris concupiscentiæ, quas causavit, & que, ipso quoad culpam delecto, remanent, potest dici concurrere ad reprobationem. At, quod bene advertas, ista major infirmitas, seu defectibilitas non concurrit ad reprobationem ut motivum illius, sed tantum ut conditio sine qua non, seu ut dispositio aut aptitudo ex parte materiæ, sicut vilitas lutæ non est motivum, cur figulus fingat quedam vasa in contumeliam. Quantumvis enim natura foret defectibilis, Deus non permitteret eam deficere, nisi propter aliquod bonum, ut jam antè observavimus. Quod autem natura defectibilis culpam non habens permittatur deficere, præcisè & secundum se non habet rationem boni, sed quatenus iste defectus ordinatur ad aliquod bonum: ergo hæc nature infirmitas, per peccatum originale acta, non potest dici motivum, ob quod Deus permittat aliquos deficere; sed, ut dictum est, se habet tantum ut conditio sine qua non, seu ut dispositio materiæ ad deficientium. Motivum autem reprobationis debet ex aliquo bono, quod Deus ex illo defectu intendit, ut est bonum universi, manifestatio attributorum, maxime justitiæ &c. His suppositis,

Dico: Peccatum originale non est motivum reprobationis eorum, quibus remissum est.

Prob. 1. auctoritate Scripturæ & Conc. Trid. Scriptura multis in locis testatur, peccata remissa peccatori non nocere, nec Deum illorum recordari. Sic Ezech. 33. *Impletus impij non nocet ei, in quacunque die conversus fuerit.* Et c. 18. de impio penitente: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et Conc. Trid. sess. 5. can. 5. ubi de peccato originali sic definit ex Apost. Rom. 8. *In renatis nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptismum;* atqui, si propter peccatum originale Deus reproberet illum, cui remissum est, istud illi noceret, illius Deus recordaretur, aliquid in illo odio haberet, & aliquid damnationis in illo remaneret: ergo. Min. patet ex terminis, & adhuc magis Prob. Nam, si Deus velit in poenam peccati originalis reprobare illos, quibus remissum, aut remittendum est, vult consequenter in illius poenam illis denegare in tempore gratiæ efficacem, & donum perseverantiæ: volitio enim efficacèr finis est causa electionis mediorem, media autem ad reprobationem sunt denegatio gratiæ efficacis & perseverantiæ: ergo evidens est, justis & renatis per baptismum remanere aliquid damnationis, & peccatum remissum illis nocere.

Confirmatur. Per Baptismum ita Deus reconciliatur homini, ut illi plenè condonet peccatum, & peccati poenam, tam æternam, quam temporalem; atqui prostris repugnat tam plena & sincerè reconciliatio, quod Deus peccatum sic condonatum retineat ut motivum reprobationis: hæc enim duo sunt incompossibilia: volo efficacèr condonare peccatum originale; & volo efficacèr reprobare propter illud, seu in poenam illius. Sicut incompossibilia sunt, quod judex sincerè condonet peccatum homicidæ, & tamen velit propter illud homicidam suspendi; que tamen admittere debet opposita sententia: ergo.

Respondet noster Gonet, Deum respectu eorum, quibus peccatum originale remissum est, accepisse illud ut motivum reprobationis quoad intentionem tantum, ita ut ipsos quidem reprobarerit propter peccatum originale; sed disponendo de mediis noluisse ut illo medio, sed assumpsisse peccata actualia: sicut, inquit, licet Prædestinatio sit quoad intentionem gratiæ, non tamen quoad executionem. Sed contra 1. hæc responsio est gratis facta, nullum habens fundamentum in auctoritate, vel ratione. 2. Istud decretum reprobationis quoad intentionem, juxta responsonem datam, manet otiosum, & inutile; ad quid ergo illud in Deo fingere? Secus decretum intentivum Prædestinationis, vi cuius ponuntur media: unde 3. In decreto intentivo Prædestinationis importantur merita ut effectus, & media finis consequendi, inò vi ipsius, ut dixi, ponuntur, unde non est mirum, si præcedant in ordine executionis. Si ergo esse paritas, dicendum foret vi decreti intentivi reprobationis propter peccatum originale poni media ad illam in executione, nimirum denegationem gratiæ efficacis, & perseverantiæ finalis; quod non admittit hæc sententia, ne incurrat anathema latum contra eos, qui dicunt post baptismum remanere aliquid damnationis.

Respondent alii, peccatum originale posse considerari dupliciter, ut est macula personæ, & ut est infectio naturæ. Sub prima ratione, inquit, delatur per baptismum, & non est motivum reprobationis; sub secunda remanet, & est motivum reprobationis. Sed contra infero: ergo aliquid damnationis remanet in Renatis: nusquam sanè hoc incommumdam fugere possunt adversarii. Dices forte, peccatum originale sub illo secundo respectu non esse per se, & formalitèr motivum reprobationis, sed radicalitèr & ratione effectuum, qui sunt